DE DISSOLUTIONE VENTRICULI SIVE DE DIGESTIONE QUAM DICUNT VENTRICULI POST MORTEM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI

UT

SUMMI IN MEDICINA ET CHIRURGIA

HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIV. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS GUILELM. GOEDECKE

LUBECENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. HOUSSELLE MED. DR.

E. ECKARD MED. DR.

E. GRAPE MED. DD.

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

A V O

CARISSIMO ATQUE DILECTISSIMO

H. G. DANZMANN

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO FORENSI PUBLICO ET PRACTICO APUD LUBECENSES, REG. SUEC. SOCIETAT. MEDICIN. SODALI

SUMMA PIETATE

COLENDO

TENUE HOCCE IUVENILE OPUSCULUM

GRATO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

De ventriculi dissolutione scribendi, libenter arripui occasionem, tum, quia res, quae mihi tractanda erat, ad pathologicam anatomiam maxime spectaret, cuius quidem studio imprimis delector, tum, quia ventriculi illa morbosa conditio hucusque parum cognita mihi erat. Nec enim docere sed discere volui, quem finem in conscribenda dissertatione me assecutum esse, gaudeo. Neque minore gaudeo affectus sum, quum eodem tempore, quo de dissertatione elaboranda meditarer, puer hoc malo laborans, policlinico, cui Ill Hufelandius praeest, afferretur; cuius quidem morbi historiam communicandi, quum mihi data esset venia, non possum quin fatear, morbi ipsius decursum a me non observatum, sed accuratiorem eiusdem descriptio-

nem ex illius, qui puero medicum auxilium attulerat, diario esse haustam. Sectioni, post mortem aegroti institutae, interfuisse, secundae fortunae debeo, operam meam adiuvanti: experimenta vero in cuniculis dissecandis, quum duce viro Ill. Rudolphi instituerim, insignem huius viri erga me humanitatem atque benevolentiam grato animo colore nunquam desinam.

Introductio.

Ventriculi dissolutio ad novissimas rarissimasque anatomiae pathologicae observationes iam non pertinet; parum tamen, pro ipsius dignitate, quod maxime mirum videtur, cognita ac perspecta est. Etenim quod ad physiologiam, ad pathologiam, nec minus ad forensem medicinam, maximam ei vim tribuendam esse, apparet. Neque minus mirum nobis visum est, quod ex prioribus saeculis, quibus diligenter et accurate cadavera medici dissecabant, nulla fere hac de re observatio nobis tradita est. Nemo enim in animum sibi inducet, morbum, cuius certe causae semper exstiterunt, tunc minus extitisse, vel viros illos, qui haud parva cum attentione cadaverum sectiones tractabant, rem fugisse, quae attentum observatorem haud facile fallere potuit.

De ventriculo perforato in scriptoribus etiam antiquioribus sat magnam exemplorum copiam invenimus. Ita ventriculum perforatum fuisse docemur modo vulneribus, atque ulceribus, modo vermibus aliisque bestiis in ventriculum fortuitu illapsis, modo venenis etc. 1) Sed huius generis perforationes huc non pertinent.

Ipse Morgagnius, accuratus ille cadaverum perscrutator, ventriculi dissoluti, nullum attulit exemplum, nisi forte sectiones duae hic referendae sunt, quarum quidem in altera 2) „ventriculus, inquit, erat amplissimus, laxissimusque. Huic lumbrici inerant multi; tunica autem intima deerat ad spatium aliquod a sinistris in fundi posteriore facie.“ — In alterius 3) vero sectionis descriptione haec habet „Ventriculus autem, qua lienem spectabat, adeo tenuis, ut ne dimidium quidem eius aequaret crassitudinis quam in reliquis partibus, illoque in loco ad superiora multis intus erat sanguineis punctis distinctus.“

Primum vero exemplum, quod certe ventriculis dissolutis adnumerari potest, Camerarius annotavit 4).

---

1) Kade, über Krankh. des Magens etc. in Reils Archiv für Physiologie Bd. 4. p. 365. sqq.
Des perforations spontanées de l'estomac par Gérard Paris an. 12. Im Ausz. übers. im neuen Iournal für ausländ. Litt. Bd. 8. St. 1. No. 1.

2) Morgagni de sedib. et causis morb. Ep. XLIII. 22.

3) Idem Ep. XXV. 2.

4) Ephemer. nat. curios. Cent. V et VI. Obs. 43.

Tum Cruikshank historiam emolliti ac perforati ventriculi tradit; quam quidem rem ex vi aucta vasorum absorbentium explicare studet 1).

Postea Sandifort, quem in pueri modo nati cadávere invenerat ventriculum emollitum atque discruptum summa diligentia descripsit 2).

Sub finem vero saeculi praeterlapsi cl. Hunterus duobus in hominibus antea bona valetudine gavisis, iisdemque subito ac violenter extinctis, ventriculi sinistram partem dissolutam invenit. Eodem fere tempore, quum, ut digestionem amplius investigaret, multas secaret bestias, eandem etiam in illis reperit rem, maxime, si brevi ante mortem ventriculum pabulo impleverant. Hunter, quum in persistente vita nulla observasset symptomata e quibus ventriculi morbum suspicari posset, ventriculum tali modo post mortem et succo quidem gastrico dissolvi atque digeri contendit 3).

Medici anglici A. Burns 4), Adams 5), et W. Phi-

---

1) Cruikshank, anatomy of the absorbing vessels. pag. 113.

2) Ed. Sandifort, observat. anat. patholog. Lib. IV. cap. V.

3) I. Hunter Observations on certains parts of animal oeconomy. pag. 226 — 231.

4) Observ. on the digestion of the stomach after death. In Edingb. med. and surgic. Iournal. Vol. VI. p. 129 — 138.

5) On the digest. of the stomach after death. In Ans-

lip 1), quam Hunter praeposuerat huius rei explicationem argumentis iterum probare studuerunt. Nec in Germania physiologi deerant, qui succum gastricum dissolutionis huius accusarent. Sic v. c. cel. Treviranus, Hunteri sententiam defendit 2).

Primum vero dissoluti ventriculi exemplum quod apud nos recentiori tempore observatum est, medicus quidam in commentariis Hufelandii annotavit 3).

Anno autem MDCCCXI Jäger, observationes suas diligenter institutas accurateque descriptas publici iuris fecit 4). Observavit autem ille dissolutionem ventriculi semper fere praecessisse morbum, quo quidem opsaepius infantes, tenera aetate, correptos vidit. Oppugnavit quae Hunter praeposuerat, et dissolutionem ventriculi dum vita adsit, iamiam perfici, demonstrare conatus est.

Illum vero secuti sunt recentiores hac de re scrip-

---

wer to Mr. Burns. In Lond. medical Iourn. V. 23. p. 399 — 418.

1) A Treatise on Indigestion and its consequences etc. by A. P. W. Philip. Sec. Ed. Lond. 1822. Of the process of digestion. pag. 55 sqq.

2) Treviranus Biologie. Bd. 4. p. 347.

3) Hufelands Journal der prakt. Heilkunde. Bd. 22. St. 2. p. 28.

4) Hufelands Journ. d. prakt. Heilk. Bd. 32. St. 5. und Bd. 36. St. 1.

tores, Fleischmannus 1), Meckelius 2), Massius 3).

Quodsi igitur ex iis, quae a Jägero observata sunt certe colligendum esse videtur, morbum quemdam nonnumquam ventriculi dissolutionem antecedere: hoc nobis agendum esse putavimus, primum ut morbum illum accuratius describamus, deinde quod in cadaveribus observatum sit, explicemus, denique ut huius rei aetiologiam pluribus illustremus.

---

1) Fleischmann, Leichenöffnungen. Erlang. 1815. pag. 122—132.

2) Meckel, Handbuch der pathologischen Anatomie. Bd. 2. Abth. 2. p. 10—14.

3) Mass, Diss. de dissolutione membranarum ventriculi etc. Hal. 1820.

Caput I.

Morbus, quem describendum aggredimur teste Jägero, aliisque hac de re scriptoribus, infantes plerumque corripit quatuor menses natos, usque ad annum primum et sex menses. Plurimi quos Jägerus, Fleischmannus, Meckelius, Massius observaverunt aegroti huius fuerunt aetatis. Attamen exempla exstant, quibus edocemur, morbosam hancce ventriculi conditionem etiam in pueris et in adultis ipsis inveniri. Quem enim Balme 1) observavit ventriculum emollitum, hunc in puellula sex annos nata reperit. A Camerario eundem morbum fuisse observatum in puella quindecim annorum e narratione sua in Ephem. nat. curios. tradita 2), elucet, et ipse Jägerus duorum adul-

1) Journal de Medic. Année 1786. p. 286.

2) Ephem. nat. cur. Cent. V et VI. Obs. 43.

torum hoc malo laborantium exempla commemorat 1). Trium denique adultorum hoc morbo affectorum historiam Kadius narrat 2).

Ubi autem infantes istum in morbum incidunt haec symptomata observantur, quae nunc amplius explicanda nobis sunt.

Plerumque nulli prodomi morbum superventurum nunciant. Sin autem aliqui adfuerint nulli alii, nisi diarrhoea, aut ciborum appetitus laesus, aut dolores in epigastrica regione et in abdomine per aliquot hebdomades perseverantes, antecesserant. Quod vero rarius accedit. Saepius infantes, antea bona valetudine gavisi, subito morbo corripiuntur. Appetitus ciborum perit, calor totius corporis, praecipue autem in manibus, augetur; pulsus accelerantur et plerumque parvi, duriores, quales in abdominis morbis semper fere adesse solent, inveniuntur; respiratio brevis atque frequens apparet; tussicula interdum brevis atque sicca observatur; magna et vix satiabilis sitis miseros vexat; auxietate et doloribus cruciantur, ut ex iactatione corporis et pedum ad abdomen attractu conspicitur; abdomen et regio epigastrica densa, calida et dolens interdum invenitur ac non semper; facies pallida atque collapsa, oculi splendore carent; clamor sensim sensimque in gemitum abit. Nunc, ni iam ab initio adfuerit, vomituritio subseqnitur, quae mox in vomitum

1) Hufelands Journ. der prakt. Heilk. Bd. 32. St. 5. p. 19.

2) Kade in Reils Archiv. Bd. 4. p. 365.

ipsum transit, nullo remedio cessantem. Vomitum illum plerumque alvi fluxus copiosus, mucosus, aeruginosus comitatur; quae quidem diarrhoea, ut supra attulimus, saepius morbum per aliquod tempus antecedens, plerumque ante mortem evanescere solet. Symptomata vero cetera per totum morbum adsunt. Torquentur ad mortem usque insatiabili siti, sed frustra potum porrectum hauriunt; per vomitum enim omnia quae ventriculus assumit, eiiciuntur. Hosce cruciatus celerrime subsequitur virium summa prostratio; frigescunt extremae corporis partes, erumpit sudor frigidus; facies iam antea collapsa magis magisque collabitur, formamque induit hippocraticam; accedunt denique spasmi atque convulsiones, quae prius etiam saepius animadvertuntur, et sic miseri diem obeunt supremum.

Quod ad tempus attinet, in quo morbus ille decurrere solet, et hoc variare e morbi historiis, quas perscrutati sumus, nobis collegimus. Omnia fere, quae Jägerus attulit exempla, brevem tantum decursum habuerunt; saepe infantes intra trium dierum spatium moriebantur; interdum vero inter octo; et Massius exemplum pueri, per tres hebdomades laborantis, memorat 1); eodem modo puer, cuius in commentariis Hufelandii 2), a medico quodam anonymo mentio fit, per longius tempus laboraverat; neque minus Balme,

---

1) Mass, Diss. de ventr. membr. dissolut. etc. p. 7.

2) Hufelands Journ. der prakt. Heilk. Bd. 22. St. 2.

Kadius 1) etc. morbi historiam referunt per hebdomades aliquas perdurantis.

Symptomata, quae supra indicavimus simplicis morbi formam referunt. Rarius vero ea omnia adsunt; multa eorum saepius non inveniuntur, adeoque eorum pravissima, ut vomitus ac diarrhoea, ipsaque febris, interdum omnino desunt. Puella, quam Balme observavit, semel tantum cibos deglutitos evomuit, diarrhoea non laboravit. Nulla ei adfuit febris; pulsus interea debiles atque tardi fuere, doloribus tantum in abdomine atque convulsionibus misera laborabat. — Alvi fluxum praeterea defecisse vomitumque ipsum haud admodum vehementem adfuisse, ipse Jägerus fatetur. Absque febre erat, ab initio saltem, puer sex annos natus, cuius supra mentionem fecimus 2). Facile denique apparet symptomata illa, quae e systemate nervoso originem petunt, ut convulsivos ceterosque spasmodicos motus, quandoque non inveniri. Exstant igitur apud scriptores exempla, quibus infantes sine convulsionibus interierunt 3). Sed convulsiones ad diagnosin morbi confirmandam, parum mihi valere videntur. Quam facile enim infantes ac pueri, morbo febrili laborantes, in convulsiones incidant, medico cuique, artem exercenti bene notum est.

Iam vero morbi diagnosin, symptomatum natura ac mutabilitate difficilem reddi, ex propositis colligi

1) l. c.

2) Hufelands Journ. der prakt. Heilk. Bd. 22. St. 2.

3) Hufelands Journ. d. prakt. Heilk. Bd. 32. St. 5. p. 10. Bd. 36. St. 1. p. 26.

potest; nihilominus tamen Iägerus exitum, e forma morbi saepius se praedixisse asseruit 1); quod quidem viro, qui diligentissime et accuratissime rem tractaverit, libenter credimus.— Sed incertam hanc diagnosin, ubi morbus non simplicem illam speciem offert, quam supra descripsimus, sed aliis morbis coniunctus est, multo fallaciorem fieri, quisque intelliget. Saepius enim aliis cum affectibus complicatum illum observavere medici, qui iam brevi nobis indicandae sunt.

Omnium frequentissime ventriculi ista morbosa conditio, ut e medicorum observationibus apparet, cum hydrocephalo acuto sese coniungit. Liceat autem afferre, quae Massius 2) hac de re annotat. „Inter viginti et quatuor, inquit, cadavera, quorum sectionem partim legi, partim ipse observavi quindecim habebant, cerebrum illo affectu morboso occupatum. Erat autem affectio cerebri duplici modo coniuncta dissolutioni ventriculi. Interdum enim in vita quidem ventriculi morbus praevalebat, in sectione abnormitates cerebri occurrebant. Cuius rei exempla a Jägero tria afferuntur. — Illis frequentiores etiam sunt observationes eiusmodi, quod vita, in febris hydrocephalicae exacerbatione exstincta, ventriculus, qui antea nullum fere morbi symptoma edebat, apparebat corrosus perforatusque.“ Apud Jägerum, Fleischmannum etc. utriusque huius complicationis invenies

---

1) Hufelands Journ. der prakt. Heilk. Bd. 32. St. 5. p. 8.

2) Mass, Diss. de dissolutione membran. ventric. p. 10.

exempla, et ter hydrocephalum, in iis, qui hoc malo laboraverunt, se observasse, Meckelius 1) etiam memorat. Hic vero morbi cum cerebri affectibus connexus, quum tam frequenter occurrerit, omnibus hac de re scriptoribus non parvi momenti visus est, et sane intimum cerebri cum ventriculo connubium denuo probat. Quid vero hac de re sentiamus, postea, quum de iis, quae ad aetiologiam pertinent, dicendum nobis erit, paucis explicabimus.

In infantibus praeterea morbum nostrum cum dyssenteria, et tussi convulsiva coniunctum observavit Iägerus 2); idemque adultorum duorum attulit historias, in quibus vitium hoc ventriculi ad peripneumoniam accesserat 3); illorum alter autem, quod non negligendum mihi videtur, per aliquot annos iamiam, saepius haematemesi laboraverat. In omnibus vero, quos modo indicavimus casibus, ob has ipsas complicationes, ventriculi morbum, dum viverent, non suspicatus est medicus. Error ille ignoscendus sane est, quum diagnosis, per se iam difficilis, ubi morbus simplicem se praebet, complicationibus illis difffcilior reddatur. Dolendum enim est, ne ullum quidem nobis esse huius morbi signum pathognomicum. Morbi formam variare ac symptoma quodque interdum iam-

1) Meckel Handb. d. path. Anat. Bd. 2. A. 2. S. 12.

2) Hufelands Journ. der prakt. Heilk. Bd. 36. St. 1. p. 30.

3) Hufelands Journ. der prakt. Heilk. Bd. 32. St. 5. p. 20.

iam defecisse, supra exposuimus. Ubi igitur non omnia, sed tantum gravissima adsunt signa, ut vomitus, diarrhoea, febris, tensio et dolor in praecordiis, sitis, et magna illa virium prostratio: ille, qui nondum morbum istum observaverit, propriumque ideo aegrotantium habitum, qui verbis describi non potest, nondum viderit, quemque alium, sed non illum morbum, de quo sermo est, suspicabitur. Ac etiamsi omnia adessent singula signa, quis in investiganda natura atque indole morbi non haesitaverit? Quem enim huius magna illa cum aliis ventriculi affectibus, cum gastritide, cum febre gastrica, cum affectibus, qui e dentitione difficili oriri solent multisque aliis, fugiet similitudo? Quapropter, quum morbum nostrum cum similibus contulerim, quodque cuique proprium mihi videretur elegerim, non plane inutilem suscepisse operam, putavi. Primum igitur cum hydrocephalo acuto nostram ventriculi affectionem comparavimus; quum huius symptomata multa, etiam in illius stadio secundo, observaverimus; eamque ob rem in cognoscendis hisce morbis errare posse, putaverimus. Cuique enim bene notum est, quantis hydrocephali acuti diagnosis prematur difficultatibus, tantis certe, ut magnus ille Pet. Frankius 1) dignoseos incertitudinem his verbis indicet: „fateamur interim, inquit, nullum in hydrope cerebri acuto tam perpetuum, quin aut deesse, aut citius tardiusve accedere queat, dari signum. Sunt sane et illi

---

1) Epitom. de cogn. et cur. morb. Lib. VI. P. II. p. 192.

conspicuae nonnunquam et quae medicum, etiam expertum, faustiorem ad prognosin faciendam seducant, induciae." —

Secundo igitur hydrocephali stadio, ac morbo nostro, haec sunt communia. Uterque morbus eandem fere aetatem invadit. In utroque febris adest, respiratio laesa, anxietas, vomitus, virium languor ac prostratio, convulsiones. — Distinguuntur vero his.

1. Ventriculi morbus, — quem, quum aptiori denominatione careamus, dissolutionem sive emollitionem ventriculi, nuncupare liceat — subito, ac sine prodromis, ut supra exposuimus, plerumque infantes aggreditur. Stadio vero illo hydrocephali, necesse est, primum stadium inflammatorium antecesserit, cuius signa saepius sat perspicua sunt. Sed illud quoque interdum a medicis non cognosci iam ex Frankii cell. 1) verbis elucet: „quam enim, inquit, infirma haec omnia desideratae diagnosis fulcra dicenda sint, eo facilius, quod et ipse capitis dolor, et lucis impatientia, et vomitus, et febris defuisse sint visa, concludes."

2. Quod ad febrem attinet, illa, in ventriculi dissolutione continua continens, in hydrocephali stadio secundo contra, si quae adest, remittens, observatur.

3. Respirationem laesam in utroque morbo invenimus; quae autem in ventriculi emollitione, frequens, brevis, ac anxia observatur, eam in hydrocephalo, tardam, suspiriosam cernimus.

---

1) Epit. de cogn. et cur. morb. Lib. VI. P. 1. p. 186.

4. E forma morbi, supra a nobis exhibita, quoties diarrhoea, eaque copiosa, mucosa atque aeruginosa, morbum concomitaretur apparuit: in hydrocephalo contra quum in illo alvum plerumque esse obstructam sciamus, rarius animadvertitur.

5. Ciborum desiderium, quod in ventriculi dissolutione, iam ab initio omnino exstinctum videmus, in hydrocephalo plerumque adest.

6. Denique vomitus ipse, etiamsi in utroque morbo eum occurrere constat, tamen in utroque diversitatem aliquam offert. Nam in dissolutione ventriculi, ubi idiopathicus, ut dicunt, plane est, longe frequentior accedit omnibusque, quae ventriculo afferuntur, sive cibis sive potu denuo excitatur; ac denique in quovis corporis positu evenit. — Vomitus, vero, qui secundum hydrocephali stadium comitatur, consensualis, sive sympathicus, nec adeo ferox est; excitatur imprimis dum caput, aut corpus erigatur, nec omnes, qui assumuntur cibi, eo eiiciuntur.

Iam vero sufficiat haec tantum contulisse hydrocephali symptomata, ea enim, quae ei propria, quaeque e cerebri affectu solum explicanda sunt, per se iam satis patent, sic ut non facile cum nostris confundi possint.

Accedamus igitur ad alias infantilis aetatis affectiones, ventriculi dissolutioni haud dissimiles. Quoties enim infantes, quum primi enascantur dentes, in febrem incidant, quoties hoc ipso tempore diarrhoea corripiantur, ac vomant, sat bene notum est. — Harum vero affectionum mitem naturam, medicus facile cognoscet, imprimis, quando in mentem sibi revocave-

rit, ventriculi emollitionis malignam formam; respiciat praesertim ferocitatem atque frequentiam vomitus, ante oculos sibi ponat diarrhoeae naturam, supra descriptam, summam praeterea virium prostrationem in dissolutione ventriculi, ac febris typi continue continentis recordetur, qui remittens in dentitione difficili observatur, denique dentitionis ipsius signa haud negligat, ut ruborem ac tumorem faciei et dolorem in gingivis; quibus certe probe perpensis, haud facile in cognoscendis morbis committet errorem.

Difficilior iam, morbi nostri ac febris gastricae, qua etiam haud raro infantes correptos videmus, distinctio est. Adsunt enim in illa, praesertim in graviori, omnes fere ventriculi dissolutionis signa. Adest febris, ciborum desiderium exstinctum, tumor ac dolor praecordiorum, anxietas ac iactatio, virium languor, diarrhoea, vomitus, nec raro convulsiones; nec fateri non possumus, medicum, ubi semel aut bis aegrotantes inviserit, saepius nulla diiudicare posse. E nostra vero sententia vomitus solus, si adest, respiciendus est. Vomitus enim in febre gastrica nec tam frequens, nec tam ferox est; ac denique, quae per illum eiiciuntur, adspicienda sunt. In febre gatrica sordes evomunt gastricas, ut ciborum indigestorum residua, aut pituitae magnam copiam, bile haud raro intermixtam, quibus eiectis, quum causam quodammodo totius morbi eiiciant, multo melius sese habent.

Omnium vero difficillima et vix certa nostri morbi ac gastritidis, imprimis malignae s. typhosae, quam dicunt, distinctio est. Persimilia symptomata in utroque

morbo reperimus, ita ut multi, e. g. Massius 1) non dubitaverint, morbum, de quo sermo est, pro gastritide habere eamque ob rem Schönlein, qui Erlangae therapiam docet, morbum nostrum, gastritidem infantilem in praelectionibus suis, nominat; ac alii, per vocem „gastritidis typhodis, sive gastritidis occultae,“ eundem intelligunt morbum. Huic vero sententiae, cui nondum assentiri possumus, haec adversari videntur. Primum igitur, nullam esse gastritidem sine febre, constat; nec nostram ventriculi dissolutionem plerumque febrilem esse negare possumus; nihilominus tamen exempla febre carentia supra annotavimus.

Deinde praecordiorum tumor atque dolor, qui tantus in gastritide est, ut ne stragulornm quidem attactum sustinere possint aegrotantes, quique, ut in quacunque inflammatione interna, sic etiam hic, pro signum magni sane momenti est habendus: saepius iam in ventriculi hac affectione defecit. Ipse Jägerus 1), saepius nec tumorem nec dolorem se observasse, quum abdomen manu compresserit, profitetur. Sic etiam calorem in epigastrica regione imprimis fuisse adauctum, nemo nisi Massius 2) commemorat, qui semel tantum in infante signum hocce vidisse gloriatur. Fateamur autem, omnium symptomatum hoc esse fallacissimum. —

Tum in gastritide alvum plerumque esse obstru-

---

1) Mass, Diss. de diss. membr. ventric. p. 15 sqq.

2) Hufelands Journ. d. prakt. Heilk. Bd. 32. St. 5.

3) l. c.

ctam, cuique bene notum est. Quod vero minime in ventriculi dissolutione accidit. In illa enim, ut supra notavimus, plerumque diarrhoea adfuit, tanta quidem ut ingestorum copia, illi, quae per alvum deponeretur, minime responderet 1).

Et postea, si in infantibus, gastritis eam tantum ventriculi regionem, quae ad lienem spectat, occuparet, hoc sane miratu dignum esset, quum, eam nec magnae, nec parvae ventriculi curvaturae, nec pyloro, nec sacco coeco parcere, per sectiones cadaverum edocti simus.

Rubor denique, quem in circuitu dissoluti ac perforati ventriculi interdum invenerunt, ex descriptione saltem nondum ad inflammationem referendum mihi esse videbatur. Saepius vero ne ullum quidem adfuisse inflammationis vestigium, consentiunt omnes. Neque minus affirmant auctores, interdum non procul a loco emollito ventriculi, vasa nonnulla se vidisse, sanguine repleta. Haec vero vasorum repletio nondum inflammatio est dicenda. Quoties arachnoideam vasculis rubris intertextam videmus? Attamen in omnibus his casibus encephalitidem sive menyngitidem adfuisse, nemo contendet.

Anglicus medicus Blake, testante Adams 2) totum intestinalem tubum inflammatum, simul cum dis-

---

1) Jäger in Hufelands Journ. l. c.

2) Adams on the digestion of the stomach after death. In Answer to Mr. Burns. In Lond. medical. Journal. Vol. 23. p. 399—418.

solutione ventriculi observavit. Hoc autem unicum exemplum, cui tot, in quibus ne ullum quidem inflammationis vestigium adfuit, opponi possunt, nihil aliud nisi complicatio nostri morbi cum enteritide mihi fuisse videtur. —

Allan Burns 1) historiam narrat mulieris, quae non sine suspicione partus clam peracti venenique sumti, obiit. Forenses medici, quamvis veneni ipsius nihil invenerint, tamen e ventriculo laeso, mulierem veneno interemtam fuisse, censuerunt. Iamiam vir quidam huius criminis suspicionem sibi attulit, donec medicus alius surrexerit, qui hasce ventriculi laesiones non ex veneno sumto, sed ex effectu gatrici succi post mortem, esse explicandas, probare studeret, et hominem illum suspiciosum a supplicio liberaret.

Apparet vero ex unico hoc exemplo, quam necessaria sit et forensi medico ventriculi dissolutionis acuratissima cognitio; ac non solum laesiones, quae post mortem inveniuntur, sed etiam symptomata, quae illas in vita antecesserunt, exactissime sciat, necesse est. Quam ob rem haud plane ineptum fore putavi, si symptomata illa, ac laesiones post mortem inventas, quae ventriculi dissolutio nobis offert, cum illis conferrem, quae post venena assumta, praesertim corrosiva et acida observari solent. Per bene scio, haud facilem me suscepisse operam, libenterque profiteor, me

1) A. Burns observ. on the digestion of the stomach after death. In Eding. med. and chir. Journ. Vol. VI. p. 129—138.

cuius in his rebus perexigua sane hucusque fuit experientia, huic nondum esse parem; nihilominus tamen, quum in comparandis singulis symptomatibus discere speravi, ab eo non abstinui. Liceat autem, quae ex scriptoribus hac de re eruere potui, paucis hic commemorare.

Maxima venenorum sc. corrosivorum et acidorum pars ventriculo assumta, nisi membranas eius subito, corrodat atque perforet, et tali modo celerem adducat mortem, (quod v. c., si quis magnam acid. sulph. concentr. sumserit compiam evenire potest,) gastritidem excitat, eaque homines necat. Quam ob rem eadem fere hic valent, quae supra de dissolutionis ventriculi et gastritidis differentia diximus et pauca tantum hic addenda sunt. Sed negandum non est, saepius aliqua tamen accedere symptomata ad ea, quae in gastritide observari solent, varia, pro veneni assumti varia natura. Iam vero nonnullorum venenorum in corpus humanum effectum hic indicabimus.

Ubi hydrargyri muriat. corrosivi nimiam quantitatem sumserint, nulla fere alia, nisi gastritidis symptomata videmus. Testante autem Orfila saepius his adnumerari possunt sapor acer, metallicus, nonnunquam praeterea vomitus et alvi fluxus cruentus 1).

Accuratiorem symptomatum descriptionem, quae ab acido arsenicoso eveniunt, praecipue Brodio debemus, qui multa ad hanc rem instituit experimenta. Observantur vero haec: saporem habent austerum, spi-

---

1) Orfila Toxikologie. Thl. I. §. 65. p. 82.

ritus male olet, salivae plus secernitur; contractiones sentiunt faucium atque oesophagi, dentes obtunduntur; accedunt singultus, vomituritio, mox in vomitum ipsum abiens, quo materia fusca cruenta eiicitur; anxietate magna vexantur, anima deficiunt. Praecordia calent, labia, lingua totum oris cavum inflammantur, ventriculi dolores ingentes; sitis insatiabilis; respiratio difficilis; pulsus parvi, dibiles, frequentes inordinati, nonnumquam vero tardi ac inaequales, palpitatio; urina parca, rubra, cruenta; facies collabitur; apparent circa oculos orbiculi coerulei, in cuti vero totius corporis maculae coeuruleae, ac proprium quoddam exanthema; summa subsequitur virium prostratio, deliria, convulsiones, capillorum defluvium, ac denique mors 1).

E Tart. stib. eadem fere symptomata oriuntur, quae de hydr. mur. corros. annotavimus; sed alvi deiectiones hic frequentiores sunt, nec raro meteorismus observatur; praeterea vertigines, ac convulsiones, imprimis in cruribus valde dolorificae 2).

Sic quoque, si tenesmum excipias, qui diarrhoeam plerumque cruentam ac sat frequentem concomitatur, nulla alia effecit symptomata, Cupr. aceticum 3).

Quam vero difficilis ac incerta diagnosis sit, ubi venena haec sumsisse, negant aegrotantes, ac ubi in illis, quae per vomitum eiiciunt, nullum invenimus

---

1) Orfila Toxikolog. Th. I. §. 143. p. 176.

2) Orfila Toxikolog. Th. I. §. 237. p. 285.

3) Orfila Toxikolog. Th. I. §. 337. p. 343.

horum venenorum vestigium, per se elucet. Hisce enim certissimis signis deficientibus, e solis symptomatibus rarissime sane quidquam concludere possumus. Nam in animum bene revocandum est, symptomata ea non semper adesse. Differunt pro aetate, corporis constitutione, pro dosi veneni etc. Accedit etiam ad hoc, ut exempla non desint, quibus homines post venenum assumtum interiere nec ullum aliud, nisi lipothymiam, exhibuere symptoma. Ab arsenico saltem id annotatum legimus apud Orfilam 1). Nihilominus tamen, ubi symptomata designata adfuerint, una cum iis, quae in cadaveribus inveniuntur, clarissimam afferre possunt, lucem.

Minoribus iam diagnosis premitur difficultatibus, ubi acidorum concentratorum nimiam deglutierunt quantitatem. Acidum sulphuricum 2) enim, nec minus Acid. muriat. praeter gastritidis genuinae signa, oris totius cavum praebet corrosum atque inflammatum. Epitelio carent labia, lingua, interna genarum superficies, ac palatum; interdum membrana mucosa albicans ac corrugata apparet. Nec raro crustis obtegitur nigris. Praeterea, quae evomuntur, nigra, nec raro cruenta sunt, et ubi in pavimentum e calce stratum incidant, aut alkalinis admisceantur, efferuescunt.

Similes quoque effectus acidum nitricum devoratum praebet, quorum accuratissimam descriptionem

---

1) Orfila Toxik. Th. I. p. 184.

2) Orfila Toxik. Th. 2. p. 93 sqq.

praecipue Tartrae 1) debemus. Et illud gastritidem effecit genuinam atque oris cavum corrosit. Saepe dentes vacillant, coloremque praebent fuscum. Mucosa membrana, qua investitur oris cavum albicans, et crassior observatur. Nec raro tribus aut quatuor diebus elapsis a membranis subiacentibus se seiungit, ac eiicitur. Vomitus, illi, quem cetera acida efficiunt, similis; quae autem illo eiiciuntur plerumque flavida ac fusca, sanguine intermixta esse solent; et recte monuit Tartra eum ipsum deficere posse, ubi acidum tam vehementer in ventriculi membranas egerit, ut eas ipsas celerrime dissolverit atque perforarit.

Alkalinorum causticorum in corpus effectus, ab illis, quos cetera venena corrosiva exserunt, non discrepant 2).

Caput II.

Cadavera infantum morbo descripto defunctorum, si morbus acutissimum sumserat decursum haud admodum macie confecta sunt; magis vero, ubi diutius labora-

---

1) Tartra, de l'empoissement par l'acide nitrique. Paris 1802.
Orfila Toxik. Th. 2. p. 122.

2) Orfila Toxik. Th. 2. p. 161.

verunt. Faciem valde collapsam semper invenies, summi doloris signa prae se ferentem, sic ut infantili aetati minime respondeat. Abdomen plerumque tumet, et integumentis communibus reiectis spiritu repleta, observantur intestina. Remotis vero iis et omento, fundus ventriculi, imprimis versus lienem, colore alieno, ex livido-viridi, vel ex rubro-nigrescenti, apparet. Ubi nondum perforatus est ventriculus, modice illum invenies aëre distentum et in loco descripto tenuem, pellucidum. Disruptus vero ventriculus, quod interdum ante cadaveris sectionem factum fuisse legimus 1), saepius autem in secando, dum ventriculus manibus agitatur, evenit, — disruptus, inquam, ventriculus, non turgidus, ut in infantibus esse solet, sed flaccidus atque collapsus observatur; chymusque in abdomen effusus, maxime inter lienem ac ventriculum iacet.

In universum autem huius dissolutionis tres gradus distinguere possumus. In primo quidem gradu, quem rarius observavere, propterea forsan, quod facile negligitur, tunicam internam tantum, villosam nempe, morbosam videmus, quae crassior facta, aliquatenus turget, sic ut inflata videatur; saepe rubicunda, permollis, gelatinae adinstar invenitur, sic ut

---

1) Iäger in Hufelands Journ. d. prakt. Heilkunde l. c. Camerarius in Ephem. nat. cur. l. c. Sandifort. obs. anat. patholog. Lib. IV. Cap. 5.

facile a tunica nervea separari possit. Huius gradus exempla apud Iaegerum legimus. 1)

In secundo autem gradu, qui omnium frequentissimus est, non solum villosa, sed etiam ceterae ventriculi membranae dissolutae sunt, excepto solum peritonaeo, quod ipsum vero plerumque tam tenue ac emollitum est, ut leniori attactu disrumpatur. Frequentissima huius rei exempla apud Iaegerum invenies, et quem ipsi mihi observare contigit, ventriculus dissolutus, hunc quidem dissolutionis gradum praebuit.

Tertium denique gradum dicamus illum, in quo dissolutio nec peritonaeo pepercit, ubi igitur ventriculus disruptus, ac contenta eius in abdomen effusa inveniuntur. Nec huius gradus desunt exempla, quae apud Iaegerum, Sandifortum, Camerarium et in commentariis Hufelandii annotata sunt.

Foramen vero ipsum, sive sit antea exortum, sive inter secandum, semper fere in superiore parte maioris curvaturae exstat, non procul ab eo loco, quo vasa brevia ventriculum adeunt; oblongum plerumque est, atque directioni huius curvaturae respondens; sed nec forma, nec magnitudine omnino distinctum. Tota enim descripta ventriculi pars, tam emollita est, ut foramen, dum agitamus ventriculum, etsi cautissime, sensim sensimque circuitu crescat. Margines vero rupturae ipsius, inaequales sunt, lacerati, permolles, gelatinae ad instar, et ventriculo aquae immerso, fim-

---

1) Hufelands Journ. d. prakt. Heilk. Bd. 36. St. 1. pag. 33.

briati, et in aqua natantes atque vacillantes apparent.

Ventriculo aperto haud raro omnes dissolutionis gradus animadverti possunt. Ubi ventriculus nondum perforatus est, aëre, ut iamiam monuimus, modice distenditur, ac semper fere mucum continet, lubricum, tenacem atque pellucidum. Interdum, sed rarius quidem, quum per vomitum omnia eiecta sunt, chymus in cavo ventriculi inventus est. Iaegerus affirmat, se semel lac coagulatum in illo vidisse. Et ventriculo a nobis ipsis dissecto potus aliqua quantitas inerat, puero ante mortem porrecti. Nunquam partes hoc modo destructae, odorem praebent putridum sive foetidum, quem v. g. in partibus gangraenosis saepe observamus.

Inflammationis verae signa nunquam reperiuntur. Circuitum loci perforati nonnunquam rubrum fuisse et peritonaeum aut villosam hic illic vasa sanguine repleta praebuisse, asseruit quidem Iaegerus et alii. Quid autem hac de re sentiamus supra iam proposuimus. Liceat hic tantum afferre eadem, a nobis observata esse in cuniculis, in quibus gastritidis suspicio certe non adfuit.

Quod vero ad locum attinet, quem dissolutio haec occupare solet, ex propositis iam elucet, longe frequentissime ab ea corripi atque destrui, fundum sacci coeci, maxime ubi lienem attingit. Attamen sedes morbosae huius conditionis non tam constans est, quam quidem I. Hunterus contendit. 1) Non desunt exem-

1) I. Hunter. observ. on certain parts of animal oeconomy. pag. 239.

pla, quibus solus anterior vel posterior ventriculi paries emollitus atque perforatus fuit. A. Burns puellulae historiam atttulit 1), atrophia consumtae, cuius ventriculus in anteriore pariete non procul a pyloro fuit perforatus. Ruptura vero fuit oblonga, marginibus flocculentis, pulposis praedita. — Posteriorem ventriculi parietem, prope ad pylorum Iaegerus quoque emollitum invenit, 2) et in alio cadavere tunicam villosam usque ad pylorum dissolutam, sic ut facile a nervea eam separe posset. Kadius quoque anterioris parietis perforati affert exemplum 3).

Nec raro una cum ventriculo, ceterae quoque tubi alimentarii partes dissolvuntur. Oesophagum una cum ventriculo emollitum vidit Iägerus 4), neque mimis Kadius 5) huius rei exemplum attulit et Sandifortius in descriptione sua, quae hac de re invenerit his verbis designavit 6). „Latus sinistrum, inquit, oesophagi a ventriculo erat divulsum paucaeque tantum fibrae carneae, ex iis quae dictam a faucibus ad ventriculum viam composuerant, in latere dextro supererant."

---

1) l. c.

2) Hufelands. Journ. d. prakt. Heilk. Bd. 36. St. 1. p. 40.

3) Reils Archiv d. Phys. Bd. 4. p. 365.

4) Hufelands Journ. d. prakt. Heilk. Bd. 32. St. 5. p. 16. und Bd. 36. St. 1. p. 36.

5) l. c.

6) l. c.

Eodem modo intestini ilei inferior pars fuit confecta, quod apud Iägerum legimus 1). Memoratu autem digna sunt, quae A. Burns nobiscum communicat 2). Ille enim quater in infantibus bene nutritis totum intestinalem tubum a cardia ad intestinum rectum usque omnino emollitum reperit. Omnes vero intestinorum membranae in massam pulposam, glutinosam, pellucidam, decocto amyli inspissato haud absimilem, mutatae erant. Levissimo attactu ventriculus et intestina disrupta sunt. Viscera integra fuerunt; ac nullibi putrescentiae signa. Aperto abdomine, odor subacidus animadverti potuit. Dolendum sane est morbi praegressi historiam auctori nostro in omnibus hisce casibus incognitam fuisse.

Ut autem intestinorum partes, simul cum ventriculo nonnunquam dissolutae observatae sunt, sic quoque exempla exstant, intestinorum tantum emollitorum ventriculo integro. Dissecuit Iaegerus cadaver puellulae novem hebdomadum. Ventriculus atque duodenum vacua erant et nimis contracta, sed quoad fabricam omnino non anomala. Intestina tenuia, aëre distenta, in margine, qui versus mesenterium spectat maculis ex livido-rubris inspersa, venisque varicosis praedita. Crassis intestinis, praesertim colo ascendenti atque descendenti praeter aërem, cuius modicam con-

---

1) Hufelands. Journ. d. prakt. Heilk. Bd. 32. St. 5. p. 16.

2) l. c. oder Götting. Gelehrt. Anzeig. St. 43. 16. März 1811.

tinebant copiam, fluidum quoddam inerat, ex griseo-bruneum, odore acido, e rupturis sponte ortis exstillans. Edocuit autem nunc accuratior investigatio, non solum tunicam villosam huius intestini, sed etiam nerveam hic illic in massam gelatinosam esse redactam.

Haud plane ommittere possumus destructionem hanc, qua saepissime ventriculus afficitur, nonnunquam etiam partes ventriculo vicinas, lienem, diaphragma, quid? quod hoc corroso, pulmones ipsos arripere. Quod factum iam Hunterus hisce verbis testatur 1) „I have often found, that after the stomach had been dissolved at the usual place, its contents let loose had come into contact with the spleen and diaphragm, had dissolved the diaphragm quite througt, and had partly affected the adiacent side of the spleen, so that what had been contained in the stomach, was found in the cavity of the thorax, and had even effected the lungs to a smal degree.“ — Eadem quoque Iaegerus invenit, in illo quidem cadavere, in quo oesophagi pars inferior fuit dissoluta. Pulmones praeterea hic in posteriore parte inflammatos observavit, et utrumque pleurae saccum, fluido mucoso, sanguine intermixto, repletum. In cadavere, quod dissecandi occasio data nobis erat, ipsi eam diaphragmatis partem, quae fundum ventriculi emollitum attigit, aliquatenus mutatam vidimus. Praebuit enim diaphragma eo in loco colo-

1) I Hunter Observ. on certain parts of. animal oeconomy. p. 229.

rem pallidum, albicantem et peritonaeum hic facilius a substantia musculari removeri potuit. In cuniculis vero saepius, inferiorem hepatis superficiem, ubi ventriculi partem dissolutam texit, colore alieno atque parenchyma ibi mollius observavimus. Neque minus semel renem sinistrum qui fundum ventriculi tangit, quodammodo emollitum vidimus, quod accuratius quidem in observ. secunda annotavimus.

Sed haec sunt praecipue, quae culter anatomicus hac de re nos edocuit. Cetera enim abdominis viscera, si destructiones excipias vicinarum partium, quas modo descripsimus, a naturali statu discessisse, nullum invenimus exemplum. Lien atque hepar, quae quidem viscera, quum tam intime cum tubo s. d. alimentario connexa sint, praecipue hic respicienda sunt, nec colore, nec magnitudine nec fabrica unquam a norma abhorruere. Eadem praeterea valent, de pectoris visceribus, quae nunquam, nisi cum partibus emollitis in contactum venerint morbosa reperta sunt. — Cerebrum vero, eiusdemque meninges saepissime laticem serosum continebant. Sed huius rei exempla supra iam amplius exposuimus.

Ut autem antea, ubi de diagnosi sermo erat, symptomata nostri morbi cum illis contulimus, quae venena efficiunt assumta, sic etiam hic mutationes, quae a venenis assumtis fieri solent, silentio praeterire non possumus. Earum enim accuratissima cognitio saepius diagnosi incertae ac dubiae lucem aliquam affere potest.

Effectus, quos venena corrosiva in fabricam humanam adducunt in universum hi sunt: primarum

viarum inflammatio, intestinorum contractiones atque stricturae, sphacelus atque gangraena in iis, corrosiones atque perforationes. Non desunt, qui singularem quandam mucosae membranae mutationem, sic, ut albicans appareat facileque a membrana nervea subiacenti, separari possit, non desunt, inquam, quibus hoc certissimum veneni deglutiti signum esse videatur 1). Iam vero accedamus ad singulas perlustrandas, quas singula venena, eaque corrosiva, in ventriculi intestinorumque fabricam, efficiunt mutationes.

Ventriculus eorum, qui hydrarg. muriat. corros. interemti sunt, inflammationis signa perspicua offert; rarius phlogosis haec in sphacelum abit, eoque ventriculi membranas perforat. Signa vero inflammationis non solum in ventriculo, sed etiam in reliquo tubo iutestinali animadvertuntur; quid? quod coecum ipsum interdum inflammatum apparuit. Peculiarem vero mutationem hoc veneno assumto, membrana mucosa in ventriculo ac intestinis subit. Haud raro enim, colore nigrescente, et omnino destructa et dissoluta inventa est, sic ut facile digitis eam, muci lubrici adinstar a tunica nervea, quae maxima ex parte plane integra fuit, removere potueris. Liceat afferre cadaveris sectionem, quam apud Orfilam 2) annotatam invenimus. Sallin, medicus apud Franco-Gallos,

---

1) Mahon et Hebenstreit. cf. Orfila Toxik. Th. 1. p. 26.

2) Orfila Toxik. Th. 1. pag. 83. und Recueil periodique de la Soc de Med. T. VII. p. 343.

in ventriculo dissecto viri cuiusdam, quem quidem hydrargyro muriatico corosivo fuisse interfectum constabat, muci pellucidi copiam reperit, colore ex bruneo-rubro. Mucosa membrana dissoluta, ac in mucum lubricum, nigrescentem mutata, a nervea facile abstergi potuit; nervea autem ipsa, maxima ex parte integra, colore albicante ac splendore proprio gaudebat; membranae in ea ventriculi parte, quam saccum coecum dicere solemus, admodum inflammatione correptae; maculisque gangraenosis praeditae; circa cardiam ventriculus contractus fuit.

Progrediamur ad ea, quae post acidum arsenicosum assumtum in ventriculo observantur. Celeberrimus Brodie 1), acido arsenicoso deglutito ventriculum haud admodum inflammari, affirmat; neque minus inflammatione nunquam oesophagum ac fauces corripi testatur. Partes inflammatae rubore praeditae sunt; interdum vero, nihil, nisi maculae rubrae animadvertuntur. Maiora vasa sanguifera, quae ventriculum adeunt, sanguine interdum repleta sunt; plerumque autem inflammatio in membrana mucosa tantum versatur, quam quidem tunicam, colore valde rubro, cinnabari haud dissimili, tinctam, atque in massam glutinosam redactam, a membrana musculari non difficile detergere possumus. Nec raro sanguis e vasis disruptis effusus hic illic invenitur; nunquam vero, si modo cita mors assumtum venenum secuta est, partes ulcere destructae, sive crustis obtectae, observan-

---

1) Orfila Toxik. Th. 1. p. 180.

tur; quae quidem interdum adsunt, ubi post longius temporis inrervallum obierunt.

Tart. stibiatus, nullas gignit in structura intestinorum mutationes, sibi proprias. Nimia eiusdem quantitate ventriculo ingesta inflammatio late fusa, ac gangraena effecitur, cuius rei exempla invenies apud Orfilam 1), nec mimus apud Fr. Hoffmannum 2).

Cupri vero acetici id proprium est, ut inflammatio omnes plerumque ventriculi tunicas corripiat, ut interna ventriculi facies crustis obtegatur, quae quidem celerrime delabuntur, ventriculumque perforant. Observationes, quae hanc rem testantur, apud Orfilam 3) sat multae collectae sunt. In cadavere uno, ventriculum pylorum versus gangraenosum et intestinum rectum perforatum, invenerunt 4).

Etiam argento nitrico praesertim, ubi aqua non solutum assumtum est, vim inesse legimus mucosae ventriculi membranae in pultem redigendae; muscularis tamen membrana inflammatione non libera reperiebatur 5).

Ut autem symptomatum quae ex acidis concentratis proficiscebantur, diagnosis haud difficilis erat, quum plerumque copia eorum sat magna devoretur,

---

1) Orfila Toxik. Th. 1. p. 286.

2) Fr. Hoffm. op. omn. Th. 1. P. II. Cap. V. Genev. 1761. p. 219.

3) Orfila Toxik. Th. 1. p. 338. sqq.

4) l. c. obs. 8.

5) Orfila Toxik. Th. 2. p. 47.

sic destructiones in intestinis, exinde ortae, tantae plerumque sunt, quae non facile non cognoscantur. Id enim omnibus commune est, ut non solum ventriculum intestinaque afficiant, sed etiam oesoqhagum, fauces, totumque oris cavum corrodant. Membrana mucosa iis in partibus, eam fere speciem prae se fert, quam observare solemus, ubi aqua calida combusta est. Corrugata apparet, albicans, et sponte plerumque, diebus aliquot paeterlapsis a membranis subiacentibus segungitur. Inflammatio praeterea, acidis ventriculo ingestis exorta late fusa plerumque est atque promptissima in gangraenam. Nec raro ulcera, ventriculum ipsum perforantia inveniuntur. —

Canis, acidi sulph. conc. drachma una et dimidia interemtus, ventriculum gangraena adeo correptum praebuit, ut tota interna superficies omnino nigra appararet 1). Neque vero possumus, quin paucis hic afferamus, quae ex acido nitrico proficiscuntur singulas destructiones, quarum quidem Tartra hanc fere protulit descriptionem. Mucosam tunicam, quae oris cavum, fauces atque oesophagum investit, eam, quam modo attulimus offert speciem, saepius vero praeterea colore valde flavo gaudet. Ventriculus admodum inflammatus, imprimis pylorum versus, nec intestinum duodenum phlogosi caret; maculae gangraenosae haud raro animadvertuntur; ac vasa sanguifera, sanguine nigro coagulato, retis adinstar, intestina haec involvunt. Tunicae ipsae, quae intestina ventriculumque consti-

1) Orfila Toxik. Th. 2. p. 94.

tuunt, tenuiores ac dissolutae apparent et disrumpuntur leviori attactu. Interna ventriculi superficies pultis flavae sat magna copia obtegitur; cardia contracta est, atque intestina crassa faecibus plerumque abundant siccis in pulverem redactis 1).

Nec alio modo alkalina caustica ventriculum destruunt. Mucosa membrana etiam per illa dissolvitur, atque in massam gelatinosam mutatur. Orfila autem testante 2) omnium corrosivorum venenorum, haec quidem saepissime ventriculum perforant.

Sed sufficiat venenorum corrosivorum destructiones hic brevibus attulisse. Quam incerta sit huius rei diagnosis praesertim, ubi veneni ingesti, nullas reperimus reliquias, bene sentimus. Nihilominus tamen, qui accuratius observat, destructiones e venenis assumtis exortas, ab iis saepe destinguere poterit, quas ventriculi dissolutio efficere solet. — Respiciat praesertim inflammationis signa, quae, ut ex omnibus observationibus persuasum nobis est, in vera ventriculi dissolutione nunquam adsunt, accuratissime, quae post mortem invenit, cum symptomatibus praegressis conferat, nec facile committet errorem.

Iam vero liceat, proprias hac de re observationes hic annectere.

---

1) Tartra, sur l'empoissement de l'acide nitrique und Orfila Toxik. Th. 2. 126.

2) Orfila Toxik. Th. 2. p. 161.

Caput III.

F. H. puer septemdecim menses natus, parentibus summam paupertatem aegre ferentibus, die vigesimo septimo M. Augusti h. a. policlinicum medicum, cui Ill. Hufelandius praeest, allatus est. Examen accuratius institutum haec edocuit. Puer ante hebdomades quinque morbillis laboraverat, quae tamen legitimum decursum non absolverant. Die enim ab initio morbi quarto subito evanuere; causa vero exanthematis suppressi nulla alia inveniri potuit, nisi refrigerium, cui quidem aegrotulus in domicilio isto subterraneo, humido, omnibusque tempestatis molestiis exposito, admodum obnoxius fuit. Exanthemate suppresso mox diarrhoea correptus est, sat copiosa, mucosa, quae ad diem usque, quo in policlinium nostrum allatus est, haud diminuta perstiterat atque corporis maciem viriumque prostrationem summam adduxerat. Abdomen valde tumuit, sed molle, tactu vero dolens erat; facies collapsa, oculorum splendor exstinctus; anxietas atque iactatio; pulsus parvus, valde frequens; respiratio brevis, frequentissima; tussicula sicca; magna sitis aegrotulum vexabat. Ut diarrhoea, symptoma maxime urgens, coerceretur, praescripta sunt medicamina haecce. Rp.| Tinct. opii simpl. gutt. unam, Pulv. cort. cinam. gr. duo. Sachar. alb. scrup. unum. M. f. pulv. Disp. tal. doses No. VI. De quo quidem matutino ac

vespertino tempore pulvis dimidius porrigebatur. — Rp. Extr. cort. cascarill. scrup. unum. Aq. foenic. unc. unam Aq. cinam. drachm. duas. Syrup. commun. unc. dimidiam. M. Huius vero lincti altera quaque hora cochlear parvum praebebatur; nec minus potui decoct. Salep.

Die XXVIII. Aug. Nullum symptomatum decrementum, sed potius augmentum. Frigescunt extremae corporis partes, imprimis pedes. Eadem opii dosis ter hodie porrigebatur, nec minus balneum praescribebatur cum spec. excitant. ph. pp.

Die XXIX. Aug. Diarrhoea aliquatenus rarior sed sitis magna, et vix satiabilis; nec raro hodie, quum potus nimiam copiam sumsisset, vomitus subsecutus est. Symptomatum quae ad febrem spectant conditio eadem. Summa autem virium prostratio. Extremarum partium oedema.

Die XXX. Aug. Summa debilitas, facies mere hippocratica, vox fere exstincta, externarum partium frigus, omniumque symptomatum augmentum mortem appropinquantem adnunciat, quam etiam die XXXI. Aug. matutino tempore placide obiit.

(Aegritudo haec aliquatenus ab illa, quam supra descripsimns, aberravit specie. Notatu enim dignum est, morbum totum per quinque fere hebdomades decurisse: vomitum praeterea ab initio defuisse et rarius tantum accessisse; convulsiones deniqne, quae saepius morbum consomicantur, nullae affuerunt).

Sectio cadaveris.

Die primo M. Septembr. cadaver secuimus. Abdomen spiritu inflatum, quam maxime tumens invenimus. Facies valde collapsa puerili aetati minime respondit, nec talis in cadaveribus puerorum alias observari solet. Corpus praeterea macie haud adeo confectum, ut ex diarrhoea vehementi forsan colligi possit. Abdomine apperto, intestina et crassa et tunuia, pallida et aëre distenta apparuere. Reiecto omento, quod ut mesenterium adipe omni carebat, nec minus remotis colo transverso ac ceteris intestinis, ventriculus sub adspectum venit, qui etiam aëre, sed modice distendebatur. Anterior eiusdem paries nullibi anomali quid obtulit. Fundus vero, ubi lienem attingit, colore ex livido-rubro praeditus fuit. Quum ventriculum in superiore parte apprehendimus, ut elevaretur, in loco descripto, ille disrupit; qua quidem e ruptura contenta mucosa, fusca, fluida in abdomen effusa sunt. Foramen vero id, hoc modo exortum, dum ventriculum moveremus, sensim sensimque circuitu crevit, ita ut mox pollicem cum dimidio in diametrum pateret. Ventriculo exciso et aquae immerso, margines huius foraminis, emolliti, gelatinosi, floccidi observabantur. Aperuimus ventriculum, ac internam eiusdem superficiem muco ex griseo-fusco obtectam invenimus; tunicae autem in fundo, circa foramen, omnino in massam mollem, gelatinosam, rubicundam mutatam reperimus. Paullo remotius ab hoc loco, vil-

losa tantum emollita erat, sic ut a nervea subiacenti facile removeri posset; sed pylorum versus omnino sana inventa est. Odor putridus nec in ventriculo aperto fuit, nec in ceteris partibus putredinis signa animadverti potuerunt. Diaphragma, ubi ventriculi sinistram partem tangit, albicans quodammodo sese obtulit, sed non mollius, quam par fuit. Lien omnino integer. Hepar pallidum quidem, sed quoad fabricam non anomalum. Sic etiam intestina cetera, praeter aëris magnam copiam, qua distendebantur, haud morbosa. Nec thoracis viscera a naturali statu recedebant. Caput aperiri per defuncti patrem non licuit, quod quidem valde dolemus, quum, ob magnum capitis circuitum, hydrocephalum suspicabamur.

Observatio I.

Die undecimo m. Augusti, hora sexta vespertina cuniculum omnino adultum, qui inde a matutino tempore nihil assumserat pabuli, medulla oblongata resecta, necavimus. Seponebatur cadaver in cubiculo, in quo thermometron Reaum. caloris gradus indicabat 17 — 18. Postero die sectus est. Reiectis integumentis abdominis, intestinum coecum, (quod, ut constat, hisce in animalibus, ob nimiam longitudinem, in abdomine aperiendo, primum adspicitur,) aëre invenimus inflatum, colore sueto ex fusco-viridi. Hoc vero intestino remoto ventriculi magna curvatura, eiusdemque saccus coecus apparuit. Pylorica pars, ventricnli curvatura minor, nec minus sacci coeci superior pars, a magno, quo gaudent cuniculi hepate, obtegebatur. Quam vero

liberam vidimus ventriculi externam superficiem, nulla nisi naturae consentanea praebebat. Erat adhuc repletus ventriculus chymo, eiusdemque externa facies, omnino aequali gaudebat colore ex albo — coerulescenti. Nullo loco vascula sanguine repleta; ne ibi quidem, ubi ventriculus ad lienem — parvum illum atque oblongum in cuniculis — adiacet; nullo loco, quantum, ex adspectu tantum diiudicare licuit, ventriculi tunicae tenuiores, ac par fuit, sese praebuerunt. Aperto ventriculo, chymum invenimus muco griseo — albicante obtectum, ac remoto illo, quem omnino aequaliter mixtum observavimus, interna ventriculi superficies sese obtulit, in qua nihil fere morbosi adfuit, nisi id excipias, quod interna ventriculi membrana sc. villosa, ubi fundum sacci coeci investit, facilius, quam versus pylorum a membranis suciacentibus segungi potuit. Charta tinct. Heliotropii tincta, membranaeque internae ventriculi admota, praesertim in sacco coeco celerrime rubrum induit colorem; sed etiam in cetero intestinali tubo] et in crassis adeo erubuit, ast non tanto gradu. Intestina cetera omnino, non morbosa.

Observatio II.

Ictu cervicis cuniculum haud plane adultum, die decimo-tertio m. Augusti, hora undecima matutina, interfecimus. Iam primus ictus, non quidem fortis, celerrime bestiam necavit. Cadaver, ut succus gastricus quam maxime tangerit fundum ventriculi, ita collocavimus ut cuniculi sedentis statum aequaret. Ther-

mometron Rnaum. decimum octavum caloris gradum praebuit. —

Die decimo quarto Augusti, hora undecima matutina cadaver aperuimus. Intestina crassa, praesertim coecum eodem modo ut in observ. prima, sese habebant. Reiecto coeco intestino, ventriculi anterior facies, quae a hepate non obtegitur, omnino sana fuit: Remoto hepate, cardiaca pars et curvatura minor, colore alieno, ex livido-fusco infecta apparuit. Eodem modo in fundo ventriculi, eo in loco, qui inter lienem ac renem interiacet, macula rubra nigricans, quae quartam fere pollicis in diametrum patebat prodiit. Membranae praeterea, ubi saccum coecum constituunt, tenues fuerunt, ita ut singulis locis chymus viridis transluceret. Ventriculo aperto, chymoque eiecto sinistra ventriculi tota pars, tenuis ac pellucida observata est. Nonnullis in locis ventriculus interna carebat membrana, sic ut peritonaeum tantum, valde tenue superesset. Ubi vero membrana haec in ceteris coeci sacci partibus, non plane dissoluta esset, facile tamen a subiacentibus abstergi potuit; quod minus facile pylorum versus perfici potuit. Mollities igitur harum partium perspicua fuit. Certior vero reddebatur experimento hoc. Quum enim sinistram ventriculi partem cautissime forcipe elevaremus, quod minime vi adhibita perfecimus, membranae extenuatae discruptae sunt. Nec omittere possumus in rene sinistro, ubi ventriculi sinistram partem tangit, maculam nigrescentem, adfuisse magnitudine 2—3 lin. Parenchyma hic emollitum aliquatenus apparuit. Dexter autem ren, hepar, ac intestina cetera nihil morbosi praebuerunt.

Observatio III.

Die decimo quarto m. Augusti, hora sexta vespertina cuniculus haud plane adultus, eodem modo, ut in observ. secunda necatus eodemque modo depositus est, calore 19 — 20 R. Die decimo sexto, hora matutina undecima — 36 igitur horis post mortem praeterlapsis — abdomen aperuimus. Reiectis abdominis integumentis, coecum observavimus spiritu inflatum, colore quidem consueto, magis tamen saturato; ubi autem intestinum hoc ventriculi fundum tangit, colorem praebuit ex viridi - nigrescentem; quoad structuram nihil alieni vidimus; saccus coecus ventriculi, praesertim versus fundum, tam tenuis atque pellucidus erat, ut ex adspectu iamiam appareret, membranas omnes, excepto peritonaeo hic omnino esse dissolutas. Quod etiam peritonaeum ex parte saltem invenimus dissolutum; disrupit enim versus lienem, quum cautissime superiorem ventriculi partem, forcipe captam elevaremus. Accuratior investigatio nos certiores fecit de totius sinistrae partis dissolutionem, quae quidem tanta fuit, ut ne facillimum quidem distractum perferre posset. Pylorum versus membranae maiore gaudebant densitate firmitateque.

Infimam hepatis superficiem pallidam quodammodo invenimus atque iusto modo mollius hic observavimus parenchyma huius visceris. Ren sinister non tantam quidem caloris depravationem nobis obtulit, quantam in observatione secunda exposuimus: saturatiore tamen rubore erat tinctus, quam dexter. Lien et tubus ali-

mentarius reliquus, nulla praebuerunt, memoratu digna.

Observatio IV.

Cuniculo, aetati sex hebdomadum, qui die praegresso nihil nisi panem ederat, die decimo-nono Augusti, hora undecima matutina, brassicae, quantum placuit, porrectum est, qua devorota, tracheam atque corotides ei persecuimus. Levioribus tantum convulsionibus praegressis, mox animam cum sanguine profusit. Eodem tempore cuniculum alium, eadem aetate, cuique idem fuit porrectum pabulum, solito more, ictu sc. in cervicem, necavimus. Uterque postero die, vigesimo sc. August., hora decima matutina, sectus est. Etiam in cuniculo primo, cui carotides persecuimus, fundum ventriculi, imprimis eum locum, qui lienem ac renem interiacet, emollitum invenimus. Hoc enim in loco chymus solidus non nisi peritonaeo tenuissimo, ipso aliquatenus iamiam emollito tectus erat. Nulla vi adhibita, capulo scalpelli chymum subiacentem a tenue hocce tegumento liberavimus; chymum ipsum praeterea aequabiliter mixtum, nec eam, quam W. Philip 1) commemorat, eiusdem separationem, observavimus.

Alter cuniculus ictu in cervicem necatus eadem fere nobis obtulit. Dissolutio vero in eo et gradu maior animadverti poterat et maiorem partem occupa-

---

1) W. Philip. A Treatise on Indigsst. etc. p. 60.

bat. In utrisque denique, quod notatu dignum esse censuimus, infima hepatis facies, quae ventriculum tangit, pallidior ac mollior videbatur. In ceteris intestinis ac visceribus, quae ampliorem desiderarent descriptionem non invenimus.

Observatio V.

W. Philip, una et dimidia hora post mortem praeterlapsa se hancce ventriculi dissolutionem in cuniculis vidisse asseruit 1). Ut ideo hanc sententiam elucidaremus, die vigesimo-primo m. Augusti, hora decima matutina, cuniculum haud plane adultum, ictu adhibito in cervicem, interfecimus. Post horam, quum nondum omnino refrixisset, abdomen apertum est. Observavimus vero nihil morbosi. Intestina crassa minime aëre inflata fuerunt; quam ob rem ad dimidium fere minora, quam in cuniculis antea sectis, apparuere; externa ventriculi superficies nullibi colorem praebuit anomalum; sed coeruleo albidiorem, splendorem autem proprium. Aperuimus ventriculum cuius interna quoque membrana omnino non mutata erat. Comparatio vero partis cardiacae cum pylorica nos iterum edocuit, illam semper hac tenuiorem inveniri.

Observatio VI.

Cuniculum, cui per horas octodecim, nullum porrectum fuerat pabulum, die vigesimo-secundo m. Au-

1) W. Philip. A. Treatise of Indigest. etc. pag. 65. „We sometimes found the great end of the stomach dissolved within an hour and a half after death.“

gusti, hora octava matutina, solito modo per ictum necavimus, illumque eodem modo, ut in observ. II. in cubiculo seposuimus, calore 19 — 20 R. Postero die, hora decima matutina cadaver secuimus. Intestina spiritu haud admodum distenta, sero cruento circumfusa invenimus, simulque sanguinis coagula hic illic sparsa, vas quoddam sanguiferum disruptum fuisse, contentumque suum in abdomen profusisse, docuere. Hoc vero vasculum invenire, accuratiori etiam investigationi non licuit. Ventriculo, non quidem distento chymi tamen aliqua copia inerat. Anterior ventriculi pars nec colorem praeternaturalem referebat, nec pellucidus magis erat quam par fuit; fundus autem lienem versus ac renem sinistrum, lividus, maculis rubris-nigrescentibus insparsus, singulis praeterea locis pellucidus, et, quod ex hisce signis iamiam colligere potuimus, aliquatenus dissolutus fuit; attamen tensionem ope forcipis non quidem levem perferre potuit. Ventriculo aperto, villosam tunicam in fundo invenimus partim dissolutam, sic ut quibusdam locis, nihil nisi peritonaeum superesset; partim vero emollitam tantum invenimus, ut facile a membranis subiacentihus abstergi posset. His vero mutationibus exceptis cadaver nihil praebuit memorabile.

Observatio VII.

Cuniculus omnino adultus, qui, ut ex macie corporis et motuum languore collegimus, non sanus fuit, per horas sedecim, nullum pabulum assumserat. Die vigesimo-nono m. Augusti, hora undecima matutina, convulsionibus bestia corripiebatur, non diuturnis qui-

dem, quibus tamen vires admodum prostratae sunt. Frequentissime animal spiritum traxit, magnaque auxietate vexari visum est; saepius nunc urinam valde copiosam emisit, àlvumque deposuit fluidam. Aucta est debilitas, iterum atque iterum in convulsiones incidit, sic ut hora secunda pomeridiana, moribundum esset. Quo quidem tempore, ut cruciatus bestiae finirem, ictu in cervicem applicato, certae morti eam tradidi; valde gaudens, occasionem, bestiam morbo quodam confectam aperiendi, mihi oblatam esse.

Quam quidem cadaveris sectionem, die trigesimoprimo m. Augusti, hora nona matutina, quadraginta igitur fere horis post mortem praeterlapsis fecimus, atque haec invenimus. Intestinum coecum aëre quam maxime distentum, hic illic maculis discoloribus, nigrescentibus infectum. Ventriculus chymi aliquam tamen quantitatem continuit; aërem autem nullum; externa eiusdem superficies rugosa apparuit. Membranarum externa facies nullibi, nec colorem alienum, nec tenuitatem, atque pelluciditatem obtulit; sed albicantes, ac solidae fuerunt tunicae, nec splendore caruerunt solito, ac distractum non quidem facilem bene pertulerunt. Quantum igitur ex hisce signis colligere licuit, ventriculum omnino sanum esse, iudicavimus. Nec ventriculus apertus iudicium nostrum fefellit. Omnino enim sanam et internam eiusdem faciem invenimus. Membrana mucosa, muco griseo obtecta, ut solet, solida, nec facile a subiacentibus removenda. — Hepar autem causam forsan ac sedem morbi obtulit; pallidum enim, ac lobus eius dexter certo loco induratus fuit. Vesicae felleae chololithi duo inerant; uri-

naria vesica lotio multo distenta, non autem anomala. Renes discolores, ex griseo virides, quoad fabricam nihil morbosi praebuere. Sic quoque thoracis viscera, nec minus cerebrum, naturae consentanea. —

Eodem tempore cuniculum alium adultum aperuimus, de quo vero haec sunt praemittenda. Bestia per horas viginti quatuor nihil ederat, die vigesimo-nono m. Augusti, hora quinta vespertina, brassica, quantum voluit, devorata, atque praeterlapsa hora dimidia, ictu in cervicem necata est.

Aperto abdomine, intestina crassa atque tenuia sana, ventriculi autem totam sinistram partem, ita emollitam atque dissolutam invenimus, ut omnia in ceteris bestiis antea observata eo superarentur. Erat repletus ventriculus brassicae ingestae magna copia. Dissolutio, totam sinistram eiusdem partem, corripuerat, nec anteriori, nec posteriori lateri pepercerat; versus fundum autem maxima mollities observari potuit. Membranae hic illam speciem attulerunt, quam saepissime descripsimus; sed tam molles fuerunt, ut facillime digitis a chymo abstergi possent. Inferiorem hepatis superficiem pallidiorem invenimus praesertim ubi ventriculum dissolutum tetigit. Cetera vero viscera omnino sana.

Caput IV.

Iam vero haud facilem suscipiamus operam, quum ad causas investigandas accedimus, quae tantis iam

difficultatibus premi videtur, ut vix ac ne vix quidem, certi quid hac de re proferri posse putaveris. In memoriam tibi revoces, morbum, de quo sermo est, rarius quidem hucusque accurate observatum, diligenterque descriptum esse; respicias deinde, ventriculi hanc destructionem, et in pueris, et in adultis, et in hominibus subito defunctis, et post morbum praegressum, inventam esse, recorderis denique, ventriculum non solum, sed etiam cetera intestina, quid? quod totum tubum alimentarium hocce modo posse emolliri ac dissolvi — et facile difficultates, quibus causarum explicatio implicatur tibi elucebunt. Fateamur autem nihil esse in universa medicina incertius atque inconstantius quam morborum aetiologiam, quam igitur, si in nostro quoque morbo hypothesibus nonnullis exornatam invenimus, mirandum sane non est. Sed ad rem ipsam progrediamur. —

De causis praedisponentibus, quas dicunt, perparum sane afferri potest. Infantili aetati, aliqua inesse videtur dispositio, quum, ut ex iis apparet quae supra hac de re protulimus, plerumque destructio haec in infantibus inveniatur. Quid autem sit, quod infantes ad malum hoc aptiores reddat, hoc tenebris hucusque obtegitur. Nec aliter res sese habet, si in occasionales inquiras causas. Etiam de iis nihil certi constat. Infantes plurimi, eo fere tempore morbo correpti sunt, quo lac maternum nutrimentis aliis, mutaverunt. Quapropter nutrimenta haec insolita, praecipue farinosa, viscida, ad formentationem acidam promptissima, tanquam causae morbi, a nonnullis accusata sunt. Alii in lacte materno, matris morbis, sivi animi

affectibus mutato, originem petunt. Nec desunt, qui ventriculi hanc destructionem ex gastritide, imprimis typhosa explicantes, ad aërem ipsum confugiunt. Affirmant illi, morbum endemicum esse in locis humidis, nec non illum epidemice quoque obvenire vernali tempore ac autumnali. Huic vero opinioni, quum observationibus hucusque nullis fulciatur, fides habenda non est. —

De causa proxima, quae exstant opiniones amplius nunc explicandae sunt. Si ventriculus perforatus, quem Cruikshank descripsit 1) ad eam pertinet perforationis speciem, de qua nos agimus, quod quidem verisimillimum est; egregius ille anatomus primus fuit, qui de causa proxima sententiam quandam communicaverit. Explicat vero ille dissolutionem et perforationem ventriculi ex vi aucta vasorum absorbentium. Huic autem sententiae id praecipue obstat, quod nunquam, ubi ventriculum perforatum invenimus, membranarum, ventriculum constituentium pars aliqua deest.

I. Hunterus ventriculi hanc destructionem e vi succi gastrici solvente explicat, totamque rem nihil esse affirmat, nisi digestionem post mortem continuatam. Quam quidem Hunteri sententiam A. Burns, adoptavit; nec minus, Adams et W. Philip; et apud nos quoque non defuere, qui eandem huius rei explicationem protulerint v. c. Treviranus 2), qui in libro suo

---

1) Cruikshank Anatomy of the absorbing vessels p. 113.

2) Treviranus Biolog. 4 Bd. p. 347.

celeberrimo Hunteri sensentiam contra alias, argumentis probare studet. Contendit vero Hunterus 1) rarius inveniri in cadaveribus ventriculos, qui in fundo aliquam dissolutionis gradum non offerant, nec illum, qui accuratius ageret in cadaveribus secandis, dissolutionis ipsius gradus fugere posse. Nil enim tantum opus esse, inquit, ut internam superficiem in fundo cum illa conferas versus pylorum, nec minus cum illa versus curvaturam minorem sita. Sanae enim partes molles, spongiosae, granulosae (soft, spongy, granulated), apparent; nec vasis sanguiferis intertextae; dum dissoluti loci in fundo, molliores (smoth) tenuiores pellucidos ac vasculis sanguiferis magis praeditos sese offerunt; quae quidem vascula, dum comprimuntur, sanguinem e finibus dissolutis emittunt. —

Observavit cel. Hunterus veutriculum dissolutum primum in hominibus duobus, violenta morte defunctis, antea bona valetudine gavisis. Uterque ictu in caput necatus, antea ciborum copiam sat magnam assumserat 2). Eodem fere tempore, quum de digestione multa institueret experimenta, in bestiis multis, quas, pabulo antea porrecto, necaverat, aliquo tempore post mortem praeterlapso, eandem reperit ventriculi mollitiem, inprimis vero in piscibus phaenomenon illud invenit. — Nullam aliam denique ventriculi locum dissolutam vidit, nisi fundum; quo quidem perforato,

---

1) I. Hunter Obs. on cert. parts. of animal. oeconomy p. 229.

2) Hunter Obs. on certain parts of animal oeconomy p. 230.

et vicinae partes, lien, diaphragma, quid? quod pulmones ipsi, nonnunquam corrosae erant.

Ex observatis autem hisce omnibus id sibi colligit, dissolutionis ventriculi nullam aliam causam esse, nisi succum gastricum ipsum, qui post mortem membranas ventriculi ipsas, vita privatas, aggrediatur.

Iam vero brevibus exponere liceat, quid de sententia magni illius viri habendum sit? Quaeritur primum num succo gastrico, vita exstincta, solvendi et digerendi vis adhuc inesse possit? Quod quidem omnino non negandum est. Experimentis enim, quae cel. Spallanzani hac de re instituit, iterum edocti sumus, retinere gastricum succum etiam post mortem solvendi vim. Spallanzani enim cornicem necavit quae modo carnem devoraverat, horisque septem praeterlapsis, externam carnis superficiem digestam reperit. Digestam quoque invenit carnem, in cornice duabus horis post mortem praeterlapsis 1); quid? quod gastricus liquor e ventriculo arte remotus, solvendi hanc vim non amittit. Haec igitur res extram omnem dubitationem posita esse videtur. Iam vero quaestio nunc est, num gastricus succus solvendi vi etiam post mortem adhuc instructus re vera ventriculi membranas possit aggredi ac dissolvere? Durante vita, chemicam hancce actionem non locum habere, et ipse Hunterus fatetur 2). Cuius rei argumentum obser-

---

1) Spallanzani Vers. über das Verdauungs - Geschäft etc. nebst Anmerk. v. Senebier übers. v. D. Ch. Michaelis Leipz. 1765. §. 225.

2) I. Hunter. Obs. on cert. parts of animal oeconomy p. 228.

vatio illa iam esse potest, qua quidem edocemur, animalcula viventia ventriculo illata, non digeri ac conquoqui. Vermes v. c. ventriculo fortuitu illapsi, dum vita gaudeant, non digeruntur; ubi autem vita privatus est ventriculus ibi, ut id quidem Hunterus vult, gastrico succo amplius resistere nequit. Sed contra hoc ipsum assertum, quae oppugnant haec sunt. Vera nempe ventriculi dissolutio, si gastricus succus eiusdem sola causa esset, multo saepius in cadaveribus inveniri deberet. Huic quidem Hunterus respondet, plurimas sectiones esse eorum, morbo quodam defunctorum, in iis autem, gastricum succum aliam induisse naturam; neque minus, quum vita eorum, qui morbo quodam obeunt, sensim sensimque cesset, secretionem huius liquoris solvendi vi praediti, etiam sensim cessare, apparet. Vera igitur ventriculi dissolutio, non potest obvenire, inquit, nisi in hominibus, antea bona valetudine gavisis, qui subito morti sucubuerunt: propterea in illis saepius observatur, qui violentam passi sunt mortem.

Etsi negari omnino non potest exstare quidem exempla ventriculi dissoluti, ubi in vita ne ullum quidem symptoma eiusdem excitaverat suspicionem, observationes tamen illae, quas Iaegero aliisque debemus, saepius in vita quoque adesse signa, edocent, e quibus ventriculi morbum praesagire possumus. Nonne Iaegerus ipse, solis e symptomatibus, ventriculum esse dissolutum praedixit?

Praeterea quod attinet ad sententiam Hunteri de iis, qui violenta morte defuncti sunt: facile apparet, illum sententiam suam tueri non posse.

Sectiones enim cadáverum, quae summa prudentia et accuratione apud nos a medicis publicis perficiuntur, eorum plerumque sunt, qui non naturali, ut dicunt, morte, defuncti erant et nullum mihi hucusque exemplum notum est, quo destructio haec ventriculi inventa sit; nec scriptores, qui medicinam forensem tractant, quantum equidem scio, huius rei mentionem faciunt. — Praeterea haud plane negligenda est, cl. Soemmeringii sententia, qui, ventriculos omnino sanos ac iutegros nullos inveniri, affirmat, nisi in illis, qui antea bene valentes, subito mortui sint. Neque minus mortis singula genera, ut id quidem Adams probare ausus est, ad producendam ventriculi dissolutionem aliquid valere videntur. Ipse Hunterus fatetur ventriculum dissolutum se observasse et in iis, qui ictu in caput necati, et qui laqueo strangulati sint. Eadem quoque, experimenta a nobis ipsis instituta, probare videntur. Cuniculum enim, cui arterias carotides perscidimus, emollitum ventriculum, etsi non tanto gradu ut ceteri per ictum necati, nobis obtulit 1).

Magni vero momenti ad firmanda quae contenderat, illud fuit Huntero, quod semper, imprimis fundum et parietem posteriorem invenit dissolutum, quas quidem ventriculi partes ob cadaveris situm gastrico succo praecipue obnoxias putavit. Quamquam omnino negare non possumus, fundum, imprimis propter maiorem membranarum teneritatem, nonnullisque aliis ex causis, nondum sat bene cognitis, ad dissolutionem proclivem esse: nihilominus tamen hic ventriculi locus,

---

1) cf. Obs. IV.

non tam constanter dissolutione destructus invenitur, quod quidem Hunterus fatetur. Exempla, quibus anterior ventriculi paries, et cetera intestina, quid? quod totus alimentarius tubus, emollitus fuit, supra iam annotavimus. Attamen anglici medici, Hunteri sententiam servare studebant. Contendit v. c. A. Burns 1), gastricum succum non solum illum, qui iam secretus in cavo ventriculi servatur, sed etiam illum, qui ductibus excretoriis adhuc insit, membranas aggredi ac dissolvere; facileque hoc modo anteriorem quoque ventriculi superficiem posse affici. Nonne autem huic obstant quae idem auctor obsarvata nobiscum communicavit, cuncta intestina emollita? Sed haec quoque dubia Adams 2), hypothesi quadam, solvere ausus est. Per aliquod tempus post mortem, inquit, ventriculo, secernendi vis adhuc inest, neque minus intestina motum peristalticum retinent, quo quidem gastricus succus per totum tubum intestinalem provectus, intestina omnia dissolvere posset. Quid vero de hypothesi ista, quae nullis fulcitur observationibus sentiendum sit, facile intelliges; et recte iamiam Massius dubitavit 3), tam ingentem copiam succi gastrici secerni posse, qua opus esset ad corrodendum totum tubum intestinalem. Nec statuendum est, tamdiu post mortem restare peristalticum motum, quo quidem succus gastricus ad intestinum rectum usque, provehatur; et quomodo denique exempla ista explicanda sunt, ubi intestina crassa, tenuibus omnino integris, dissoluta inventa sunt?

---

1) l. c.
2) l. c.
3) Mass. Diss. de Dissolut. membr. ventr. etc. p. 20.

Aliam huius rei explicationem nobis tradidit Iägerus. Quum enim ventriculi dissolutionem morbum certum saepius praecedentem observaverit, dissolutionem iam in vita incipere, colligit; praesertim, quia symptomata talia sint, qualia ventriculi morbum significent. —

Secundum Iägerum morbus ille, e functione nervorum laesa exoritur; et ob eam ipsam nervorum vim sublatam membranas ventriculi ad dissolutionem aptiores reddit; simulac autem nervorum actio in ventriculum atque in intestina sit depravata, et secretio in illis mutetur, necesse est; secernitur nunc acidum quoddam, quod membranas, nervosa vi privatas, aggreditur atque sensim sensimque corrodit. Acidum vero hoc, experimentis chemicis edoctus, nullum nisi ac. aceticum esse putat 1).

Eodem fere modo Fleischmannus rem explicat, acidumque corrodens in ventriculo produci, contendit. Mera autem hypothesis est, si acidi ipsius originem e lienis functione laesa deducit 2). — Patet vero e symptomatibus nonnullis v. c. ex magna illa virium prostratione, e convulsionibus, quae haud raro animadvertuntur, denique ex hydrocephali signis, systema nervosum hoc in morbo simul esse affectum. Quod autem attinet ad hydrocephalum, saepius observatum, ne nimium in investiganda morbi nostri singulari natura, huic ipso tribuamus, cavendum est. Non enim raro, in aliis ventriculi morbis, praesertim chro-

---

1) Hufelands. Journ. der prakt. Heilk. Bd. 36. St. 1. p. 59—73.

2) Fleischmann Leichenöffnungen p. 129.

nicis ac gravioribus, aquae quandam copiam in cerebro, eiusdemque meningibus invenimus; nec difficile hoc erit explicatu ex intimo cerebri cum ventriculo connubio.

Quae autem morbi illius, qui ventriculi dissolutionem saepe antecedit, vera sit natura, hucusque plane nescimus. Gastritidem eam non esse, ibi ostendimus ubi morbum ipsum descripsimus. —

Adesse autem fluidum, quod leges chemicas sequens, membranas ventriculi intestinorumque dissolvat, exinde iam colligere possumus, quod partes, dissoluto ventriculo vicinae, etiam corosae saepius observatae sint. Neque negandum est, fluidum illud acidum esse. Nam odorem praebet acidum, lactis acido haud absimilem et ratio, qua agunt plantarum succi coerulei in partes dissolutas, sat luculenter acidi indolem probat. Etsi negandum non est, chartam Tinct. Heliotropii tinctam, quum sano admoveatur ventriculo, etiam aliquatenus erubescere, intensiorem tamen induit ruborem membranis dissolutis; magnumque huius rei argumentum exemplum offert, quod Iägerus commemorat. Ventriculo integro, colon dissolutum Tinct. heliotropii intense rubram fecit, dum eiusdem Tinct. ventriculo admota, melius constaret. An vero acidum illud revera acid. aceticum sit, quod quidem Iägerus vult, experimenta chemica iterum atque iterum instituta edocebunt.

Elucet vero ex his omnibus, nec eam quam Iägerus, nec illam, quam Hunterus attulit huius rei explicationem, ad omnes casus esse adhibendam. Persuasum igitur nobis est, partim ex iis, qnae in scrip-

toribus legimus, partim ex iis, quae a nobis ipsis observari potuerunt, eandem rem diversis causis posse effici. Ut enim extra omnem fere dubitationis aleam positum, ventriculi dissolutionem saepius antecedere morbum, etsi incognitae hucusque indolis, qui quidem vita adhuc persistente, ventriculi illam destructionem molitur: sic etiam eandem hanc dissolutionem post mortem quoque perfici posse, ubi symptomata laesi ventriculi nulla praegressa sint, omnino negari non potest. Cuniculi enim omnes, quos W. Philip necavit, nec minus illi, in quibus nos ipsi invenimus ventriculum dissolutum, nullo certe ventriculi morbo laboraverunt. An vero succus gastricus in illis revera nihil effecerit, hucusque diiudicare ausi non sumus. Nam etsi omnia, quae contra hanc ipsam sententiam obiici possunt, in mentem nobis revocaverimus; nihilominus tamen Hunteri partes omnino non derelinquere possumus. Memoratu enim dignum est, in omnibus illis exemplis, quae Hunterus et in hominibus et in bestiis, quae W. Philip et nos ipsi in cuniculis observavimus, illum tantum ventriculi locum fuisse dissolutum, quem ob cadaveris situm succus gastricus maxime potuit aggredi. Fundus ventriculi semper solus fuit emollitus; nec unquam aliae intestinorum partes, destructae inventae sunt; sic ut certe contendere possis, ubi intestinorum partes a ventriculo remotiores, emollitae reperirentur, morbum descriptum sine dubio antea affuisse. Non possumus, quin addamus coniecturam quandam. Observavit Hunterus ventriculum tali modo destructum in hominibus, qui brevi ante mortem magnam ciborum copiam sumserant. Ea-

dem vidit in bestiis, et W. Philip et nos ipsi tum praecipue vidimus ventriculum dissolutum, quum cuniculi, brevi ante mortem pabulum devorassent sat copiosum. Ventriculus igitur in omnibus hisce casibus chymo repletus, praecipueque in sinistra parte maxime distentus, nunc lienem, diaphragma, ceterasque partes premit. Nonne forsan hoc ipso intimo partium attactu ventriculi membranae, hoc quidem in loco per se iam tenuiores, facilius abeant in putredinem? Nunquam quidem odor putridus animadvertitur, nec in cetero corpore putredinis signa adsunt; sed ut musculi nonnulli, v. c. m. psoas atque iliaci-, ceteris musculis etiamnum integris, putredine affecti, saepius apparent, sic quoque non video, cur toto corpore adhuc incolumi, ventriculus, putredine correptus, esse nun possit?

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego Fridericus Guilelmus Goedecke, Lubecensis, natus sum Pridie Nonas Octobris, anni MDCCXCVIII, patre Christophoro Friderico, mercatore, matre Henrica Catharina e gente Rettichiana. Prima litterarum elementa in gymnasio Lubecensi a praeceptoribus grato animo colendis, accepi. Studiis acad. maturus anno MDCCCXVIII schola relicta, universitatem litterarum Goettingensem petii, ubi Pridie Id. Aprilis a prorectore magnifico Bauer, civibus academicis adscriptus, lectiones frequentavi: Cel. Schrader de botanice, Cel. Strohmeyer, de chemia expe-

rimentali, Cel. Mayer, de physice, Cel. Hempel de osteologia, Ill. Blumenbach, de physiologia. — Mense Octobri eiusdem anni Ienam me contuli, ubi a prorectore magnif. Voigt. die V. Non. Octobr. in album universitatis litterarum inscriptus sum. Hic adfui scholis: Cel. Voigt. (fil.) de botanice deque physiologia, Cel. Münchow de mathesi. Cel. Döbereiner de chemia, Cel. Lenz de mineralogia, Cel. Oken de physiologia. Ill. Fuchs de osteologia, et anatome. Cel. C. G. Stark de pathologia generali, de therapia generali deque pathologia chirurgica. Anno MDCCCXIX hanc almam musarum sedem petii ubi Die III Id. Octobr. a Cel. Weiss, tunc fasces academicas tenente, in numerum civium academicorum receptus sum. Ab hoc inde tempore interfui lectionibus: Cel. Osann, de materia medica deque fontibus medicatis, Cel. Ermann de viribus magneticis, galvanicis et electricis, Ill. Horn de pathologia ac therapia speciali, de morbis venereis et institutionibus medicinae practicae; Ill Graefe de akiurgia deque ophthalmologia; Ill. Rust de chirurgia, Ill. Berends de morbis mulierum; Cel. Kluge de arte obstetricia; neque minus Ill. de Siebold exercitationibus obstetriciis in machina phantome institutis. Fasciarum imponendi artem me docuit Cel. Kluge, operationes in oculis instituendas Exp. Jüngken. Audivi virum Exp. Hecker medicinae historiam enarrantem, eiusdemque disputanti exercitationibus interfui. Frequentavi vero instituta clinica, quibus praesunt viri Ill. Berends, Hufeland, Graefe, Rust de Siebold.

Tentamine et examine rigoroso rite obsolutis, post dissertationem hanc defensam, summos in medicina et chirurgia honores in me collatum iri, spero.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Sanatio per primam intentionem post amputationes reiicienda,

II.

Perforatio et embryulcia non instituenda,

III.

Morbus regius e bile resorpta non repetendus est.
